Acq. St. Bn.
5788
kat. konw.
BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
HISTORIA II

Hist: 5.788.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0012764

5788
II
HISTORIA

XL.1.C.30.a.b.c.d.e.f.

2.VII.30.

OMINOSUM NOMEN,

Cujus ductu

URBS AUGUSTA,

ex numero Urbium Germaniæ

Pulcherrima,

METROPOLIS SILESIÆ

SPLENDIDISSIMA,

VRATISLAVIA,

Centum Anagrammatibus,

Sua Incrementa, varia Fata, celebres Duces, hos sequentes Reges, clementes Imperatores, comprehensos Status, amœnum Situm, magnificam Structuram, ampla Commercia, cultos mores, &c.

turbato ordine

adumbrat,

Et absque culpæ propriæ laudis

SIBI ENCOMIA DICIT.

VRATISLAVIÆ & LIPSIÆ,

Apud CHRISTIANUM BAUCHIUM, Bibliopolam.

ANNO MDCCV.

OMNIBUS NOMEN,

Cujus ductu

URBS AUGUSTA,

ex numero Urbium Germaniæ

Pulcherrima,

METROPOLIS SILESIÆ

SPLENDIDISSIMA,

VRATISLAVIA,

Centum Augustissimorum

Sua Incrementa, varia Fata, celebres Principes, hos sequentes Reges, clementes Imperatores, complexos beatis, amantes Suos,

magnificam Structuram, amplæ Commercia, cultos mores, &c.

uberrimo ordine

adumbrat,

Publicæ Lucis Causa

SUBJICIT.

Apud CHRISTIANUM BUNCIUM, Bibliopolam.

ANNO MDCCC.

ILLUSTRI,

MAGNIFICIS, GENE-
ROSIS, PRÆNOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, SPLENDORE GENERIS,
VIRTUTE, ERUDITIONE,
PRUDENTIA, ET RERUM
USU PRÆCLARISSIMIS
VIRIS,
DOMINIS,

PRÆSIDI,

CONSULARIBUS, SYN-
DICIS, ET RELIQUIS OR-
DINIS SENATORII, CELE-
BERRIMÆ VRATISLAVIEN-
SIUM REIPUBLICÆ, PRO-
CERIBUS GRAVIS-
SIMIS,

*DOMINIS, AC PATRO-
NIS MEIS SUMME SUSPI-
CIENDIS.*

ILLUSTRI,
MAGNIFICIS, GENE-
ROSIS, PRAENOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, SPLENDORE GENERIS,
VIRTUTE, ERUDITIONE,
PRUDENTIA ET REBUS
USU PRAECLARISSIMIS
VIRIS,
DOMINIS
PRAESIDI,
CONSULARIBUS, SYN-
DICIS, ET REGIONIS OR-
DINIS SENATORII, CELE-
BERRIMAE VRATISLAVIEN-
SIUM REIPUBLICAE PRO-
CERIBUS GRAVIS-
SIMIS,
DOMINIS, AC PATRO-
NIS SUMME SUSPI-
CIENDIS

SIstit se Vestris EXCELLENTIBUS NOMINIBUS VRATISLAVIA, quæ mihi suo Nomine ad perpendenda Omina viam aperuit, & in hoc Elogii genus Anagrammatibus repletum, at non ad metri leges, sed ad sola acumina obstrictum, pellexit. Cum enim post privatam informationem Nobilis Juventutis in Silesiâ, Generosi Equitis Dni Caspari Adami de Studnitz, Hæreditarii Dni in Schœna, Weigels-& Gœrnsdorf, inter Musas delitui: Benignitati Patroni, quam grato animo sufficienter prosequi

non

non valeo, ſuffultus, ejusmodi luſus defæcati animi exercui, & aliquot ſpecimina publicis typis mandavi, ipſos Sereniſſimos Principes Olſnenſes veneraturus; ſed fruſtrà. Quia priùs quam Clementiam illorum demereri potui, extra Patriam ad erigendam ex cineribus ſpartam evocatus ſum, ubi inter turbas bellicas, huic operæ manum ultimam admovi. Pendebam diu animi, utrum mihi in occulto latenti ad tot Doctos prodire, & Sileſiæ Urbem Principem ex Sarmaticis oris venerari liceret: donec Fautorum monitis concitatus, eos animos ſumſi, ut non reformidarem Patrocinium Vratislaviæ apud ejusdem Urbis Proceres, qui clavum celeberrimæ Reip. non ſine magnâ laude gubernant, quærere. Hanc itaque Vobis Patres hujus Patriæ

triæ humilime offero, & eâ, quâ decet obſervantiâ rogo, ut, ſi Veſtram agnoſcitis, eam propenſis animis excipiatis. Veſtram ſe eſſe prodit, nam Veſtrum ſplendorem Majorum Virtutibus inchoatum, Veſtris autem retentum & auctum, repræſentat; Veſtram tutelam & regimen poſcit; Veſtris ſe faſcibus ſubmittit. Si tamen ſpectatiſſimæ Veſtræ Prudentiæ tot præteritorum ſeculorum Encomia meam appropinquandi audaciam excuſare nequeant: maximum ſupereſt argumentum, Veſtra in Doctos ſumma Gratia, quâ multi alliciuntur, foventurque; hæc mihi occaſionem fecit, quâ teſtarer Felicitatem Urbis perpetuam, Diuturnitatemque prudentiſſimi Regiminis, quotidiana Clientis venire

nire in vota, Vobis *Illuſtris Præſes, cæteriqueOrdinisSenatorii Proceres, Magnifici, Generoſi, Prænobiliſſimi Domini ac Patroni ſummâ obſervantiâ colendi*

Dabam Zduny
Anno 1705.

ſubjectiſſimi addictiſſimique
CHRISTIANI Rohrmann.

Vltasti nomen Budorgis, & cum nomine te ipsam,
Tota nunc es Vratislavia, cujus nec pars Budorgis erat;
Nec fermè locum retinuisti, ut omnia nova haberes
Præter antiquitatem ab antiquo nomine.
Parva tua incrementa erant, sed magnitudinẽ spirabant,
Vix tres domus eras, signum futuræ perfectionis:
Turribus statim instructa, tanquam futurum regionis
propugnaculum.
Tum temporis fuit:

(1.) VILIS TUA ARA.

Attamen Sedes Ducum Quadorum eras,
Dignam ut Sedem Cæsarum futuram Te judicarent.
Vilis tum tua Religio fuit, imo nulla,
Et Tu ideò vilis fuisti, quia nullam Religionem habuisti.
Fundatâ verâ Religione, firmum fundamentum sumsisti,
Ut scires, tuum fundamentum & incrementum esse Religionis,
Et Te tamdiu felicem, quamdiu Religio salva esset.
Hinc tuum votum: Pereat,

(2.) LIS, VIVAT ARA.

Regnante Miecislao in ordinem regiminis reducta es,
Ut haberes nomen Te ad capessendam gloriam incitans,
Miecislaus enim, sive gloriam spargentem, sive gloriam gladii significat,
Et Mieslaus: me lauda, sonat.
Sparsit Miecislaus gloriam, sed non temporalem,
Adhibuit gladium, sed spiritualem;
Nec vanam gloriam, nec cum effusione sangvinis quæsivit,
Sine lite rem magnam aggressus, litis vitandæ ostendit remedia.
Cæcus natus erat, sed videns obiit,
Quia non tantum corpore, sed & mente illuminatus rem gessit.
Tale habes exemplar initii, ut non dissimile in progressu intuearis:

Recepit ille visum, ut Te ocellum Silesiæ futurum indicaret;
Amisit cœcitatem, ut Te à cœco fervore abstraheret,
Ne intempestivam gloriam quærens, dignam amitteres:
Gloriam meretur gladius Justitiæ, non privatæ vindictæ,
Et armis licet uti contra hostes, non contra inimicos.
Hæc Te docere voluerunt Bohemi, vel ad arma incitare,
Primi tui hostes fuerunt, & ultimi amici erunt:
Sensisti illorum arma, & non speraſti dominationem;
Illi tuum excidium intenderunt, & augmentum effecerunt.
Desolata es parva, & major ædificata es:
Impositum est Tibi nomen Bohemicum, ut scires cuja futura esses.
Per infortunia ad felicitatem pervenisti,
Nunc potes dicere: felix sum Vratislavia,

(3). AST VARIA LUI.

Alterius Mieslai Filius & Religio, rursus tua fundamenta & augmenta.
Sub uno fundata es, sub altero aucta:
Mieslaus in Te Religionem excitavit, Casimirus confirmavit:
Ille vix dedit Pastorem: hic autem Episcopum.
Bis sedes Episcopalis mutata est, donec in Te constans permansit,
Pares Tibi Smogra & Bicina fuerunt, impares manserunt,
Et licet expugnata es, mansisti tamen propugnaculum,
Seu,

(4.) VAL VA TIARIS.

Splendidam Te Episcopatus reddidit, Tu eum illustrem,
Ille Tui causâ sedem mutavit, Tu illius causâ retinuisti,
Nec Te meliorem locum amplius invenire potuit,
Quia Tu per eum præstantior facta es;
Neq; melior fieri potest, quia aureus est.
Dividit vos flumen & conjungit:
Insulam S. Johannis occupat, ut habeat Pathmum sponte suâ electum,
Ille videtur tuum propugnaculum, Tu illius præsidium.
Tuo nomine suam felicitatem declarat:

(5.) TIARAS VALUI.

Malè se habebant aliquotiès membra, sed valebat Insula;
Expugnata est civitas, non expulsa est Insula;
Destructa sunt Templa & Monasteria, non cessit loco Insula:
Tot adversos casus experta, non ruit;

Tot periculis labefactata, ſtabat immota.
Non carebis, Vratislavia, Infulâ in flore,
Quia eam retinuiſti infelici tempore,
Cum fueras

(6.) VIA LARVATIS.

Sive hoc tuum omen futura tempora reſpicit;
Sive de præteritis teſtatur:
Sive tempora Bacchanaliorum; ſive lachrymarum indicat:
Sive tertium incertum indigitat, & duobus verbis, tria comprehendit:
Certè non modò larvatis, ſed ipſis larvis via fuiſti,
Dum Te Tartari penè funditùs deleverunt.
Eo tempore funeſtum hominibus nomen, & cum nomine homines larvis ſimiles:
Terruerunt Te, dum nondum eras hoſti terribilis;
Invaſerunt Te, dum munita non fuiſti;
Exercuerunt erga Te hoſtilitatem, fortitudinem non potuerunt:
Diripuerunt ſancta loca, quæ armis non indigeant.
Maluiſti perdere domos, ne deſponderes animum;
Teipſam incendiſti, ut fervorem demonſtrares;
Contraxiſti vires in arcem, ut Te infirmam oſtenderes.
Pugnabat hoſtis armis, Tu precibus
Perrupiſti

(7.) AURAS TALI VI.

Ideo hoſtis tuam vim perrumpere non potuit.
Ceſſerunt arma precibus, dum preces non ceſſarunt,
Viciſti aſtra lachrymis, hæc ignibus hoſtem.
Ab arce oppugnatâ, urbs rurſus expugnata eſt:
Vis lachrymarum commovit vim fulminum.
Talem imbrem, talia ſequuntur fulgura;
Tali modo cum aſtra lavantur, nitidiùs ſplendent.
Verum eſt, quod ais:

(8.) ASTRA VI LAVI.

Fruſtrà hoſtis minatur flammas, dum illum fulmina petunt:
Vana eſt ejus ira, cui cœlum iraſcitur.
Fugere oportuit hoſtem, qui â Te victus non eſt,
Falsò Te victam eſſe putabat, cum Sarmatiam victam æſtimabat:
Invenit in Te ad reſiſtendum in Poloniâ Germaniam;

Sub Sceptro Sarmatico fueras, & Germanorum favorem non reſpuebas:
Polonica mandata Germanicè intellexiſti;
Ex Germanorum lingvâ Polonis obedire didiciſti.
Placuit Tibi Polonorum Libertas, & Germanorum Ordo:
Conjunxiſti diſſentientes Germanos cum Polonis,
Et docuiſti Juventutem loqui Germanicè, & ſentire Polonicè,
Ut cum Polonis Pacem, cum Germanis Amicitiam ſervares.
Nocebat enim Tibi

(9) A VISTULA IRA.

Proderat Favor ab Albi.
His in medio poſita, nullam extremitatem ſperabas,
Dum ſub felicibus Piaſtis, felicior in dies creſcebas,
Habuiſti primò regios Satrapas, ut digna maneres Filiis:
Donec Sileſia tribus Filiis ceſſit, & Tu ex tribus uni:
Poſt talem diviſionem vires tuæ unitæ ſunt.
Tui Principes effecerunt Te principem:
Boleslaus Altus, ut altiùs emergeres curavit;
Henricus Barbatus, ſapientiam Te docuit;
Henricus Pius, impietatem profligavit;
Henricus III muros ad Olam fundavit, Quartus opus abſolvit,
Ne amplius eſſes Urbs ſine muris, ſed ut fieres hoſti

(10.) IRATA VALVIS.

Henricus Craſſus, Te auxilio amplam expertus eſt;
Henricus Pacificus, dum Te pacem docere voluit, in pace obiit,
Planè tali tempore, cum non ſperares, quod eſſes

(11.) TALIA VISURA.

Habuiſti non duo integra ſecula Duces, tot ſeculis amplius non habitura.
Omnes perdidiſti, dum Pacificum deſideras.
Primus Pacificus, ultimus Tibi factus eſt.
Pium & Probum habuiſti, Pacificum Quietus non eſt ſecutus.
Ipſe Pacificus inter Henricos ſextus,
Sextam quietis repræſentabat diem,
Ut Tibi poſt obitum pacem & quietem ſvaderet,
Vel Te harum amantem redderet.
Verùm ideò ceſſit Pacificus, ut regnaret Gratioſus;
Ideò perdidiſti Principes, ut haberes Reges.
Præſagiebas tuo nomine

(12.) ALTIUS VARIA.

Quæ re ipsâ experta es.
Venisti sub potestatem Bohemorum, & cum Te tota Silesia.
Non imperassent Bohemi Silesiæ, nisi Tibi imperassent,
Qui enim possidet Vratislaviam, dominari potest Silesiæ:
Nihil jam habent Poloni in Silesiâ, quia Te non habent.
Tu verò ut reverebaris Polonos, ita non spreviſti Bohemos:
Sciviſti tum parum mutatum eorum imperium esse,
Quorum lingva cognationem admittit,
Nec multum regna differre, quæ parem libertatem amarent.
Intellexiſti non tam regnum, quam regionem immutatam esse,
Et Czechos cum Lechis diversam gentem, sed fraternam fuisse,
Neq; Te mutasse Regem, sed vicinum,
Ut sub utroq; eadem, utrumq; amicum haberes.
Imò Regem mutasti, qui vicinum non potuisti,
Ut alterius veterem, alterius novam Clementiam retineres.
Non malo omine tuum sceptrum, ab Oriente tendens, in Meridie stetit,
Ne ampliùs Ortum, sed summum Progressum venerareris:
Orienti enim ortum, Meridiei altitudinem debes:
Hinc

(13.) ALTA JUVARIS.

Vix altiùs evehi potes, quam cum altissimam mundi Plagam suspicis.
Illud tuum regnum agnoscis, quod inter regna Europæ medium est.
Non extrema sectaris, virtutis imitatrix:
Mediam nacta es viam, quâ tutiùs ires.
Medium acquisiviſti, quo Germana facta es:
Inserta est Bohemia Germaniæ, Tu Bohemiæ:
Ritè jam potes colere Germanos, & favere Polonis,
Quia non vi armorum subacta es à Germanis,
Et nullam vim sensisti Polonorum manu missa.
Veram Religionem à Bohemis Poloni susceperunt, Tu à Polonis, quia
Polona eras,
Tunc Bohemorum facta, demum ad verum principium veniſti.
Primus meritò Tibi imperabat Johannes Bohemorum,
Ne de Gratiâ Successorum dubitares.
Mox excepit Johannem Carolus IV, id est, Major Magnum:
Ex Rege Cæsar factus, ut Te Augustam faceret,

Ne ampliùs esses sub Regibus, sed Cæsaribus,
Neq; umbram quæreres sub Piasteis Quercubus, sed sub Romanis Lauris.
Jdeò meritò diceris:

(14) AVITA LAURIS.

Laurum non tangunt fulmina, Tu bis fermè tota conflagrasti,
Sed ideò conflagrasti, ut pulchrior revivisceres.
Destructa est sub veteri regimine vetustas,
Ut sub novo Imperio venustas appareret:
Malè disposita eras, idcircò eversa es:
Nocere Tibi flamma non potuit, quia Cæsari non nocuit,
Vel plus Cæsari nocuit, quam Tibi, quia Tu non tua, sed Cæsaris eras.
Salvam Te esse putasti, cum exitium perpessa es,
Sic miraris:

(15.) ITA SALVA RUI!

Non Tu ruisti, sed tua deformitas:
Sub virenti Lauru, non potuisti non revirescere.
Hoc damnum Tibi attulit lucrum,
Dum Magnificentiam Cæsaris excitavit.
Ille pro vetustis ædificiis nova restituit;
Malè disposita in pulchrum ordinem redegit;
Urbi novæ ex veteri excitatæ, aliam novam adjecit:
Non contentus ruinâ ignis, aquæ terminum transgressus est.
Sed nec hîc terminum invenit, dum æternum cogitavit,
Idcircò ædibus profanis sacram adjecit,
Potuisti gloriari

(16.) LATIUS ARAVI;

Verùm latius adhuc messuisti.
Non sufficiebat Cæsari ut esses pulchrior, debebas fieri præstantior:
Fuisti huc usq; Metropolis nomine, debebas in posterum esse ipsâ re:
Præerat anteà Silesia sibiipsi, Tu postea Silesiæ ut præesses, præfecta es.
Imò hâc ratione Præfecturam recepisti, ut Tibiipsi præesse posses.
Non potuisses tamen Tibi præesse, nî Tibi præesset Carolus.
Qui, quod olim Europæ Magnus, id Tibi fuit IV,
Magnus etenim majori Clementiâ Te prosequi non potuisset.
Poteras confiteri:
Amore,

AULA,

(17.) AULA, ARSI TUI,
Cum tanto Cæſar erga Te amore arderet,
Et non ſolùm beneficiis, ſed ipſo amore provocaret amorem:
Sæpiùs ad Te literas dedit, ut Tu amorem redderes:
Non vulgare ſpecimen Clementiæ, favore id efflagitare, quod jure debetur.
Fato quodam videntur tot beneficia in Te collata,
Quibus poſtero tempore carere deberes.
Succedit Carolo Wenceslaus, id eſt, res tuæ mutantur,
Ipſum nomen diverſum Imperatorem, & Te penè diverſam indicat:
Nondum oblivio incendii extincta fuit, dum furor tuus exarſit.
Nullâ vi tentata es, & vim adhibuiſti,
Nonne fuiſti
(18.) A TALI VI URSA?
Non ratione regebaris, ſed crudelitate,
Mutaſti amorem in iram;
Pacem in rebellionem,
Et facta es ex ſtrenuâ, rabioſa.
Compoſita es Regis ad exemplum, ſed non regium.
Virtuoſa exempla proponuntur ad imitationem, Tu elegiſti vitioſum,
Nec tibi licebat facere Magiſtratui, quod Rex faciebat ſubditis,
Pudet tuum nomen facinoris nondum auditi,
Et non immeritò illud rejicit:
(19.) IRA, I, LAUS TUA,
Scilicet non ad laudem divulgata eſt.
Ira nec laudem, nec vituperium meretur.
Quamdiu nec virtuti, nec vitio jungitur, hæret in medio innocens;
Alterutri juncta: vel laude ornatur; vel vituperio notatur,
Semper pronior ad exceſſum, & virtuti militans,
Sæpè noxiam admittit, cum laudem captat.
Quid, vitio ſerviens? Bis vitioſa:
Quæ omne tempus juſtum putat, quô dominatur;
Omnia loca opportuna, quæ dehoneſtat;
Innocentes, nocentes judicat,
Injurioſos, quos injuriâ afficit;
Injuſtos, quos injuſtè cædit;
Hoſtes, quos inimicè trucidat;
Maleficos, quibus vitam malitioſè eripit.

Tu cæ-

Tu cætera connives, ingemiſcens:

(20.) TALIS UVA IRA!

Contraxerunt Tibi os illius fructus, quos amplius guſtare recuſas,
Non mirum: non valent ſenſus, ubi ratio malè affecta eſt,
Præſertim vulgi, qui uno affectu in plura diſſolvitur.
Congregatur adverſus Magiſtratum congregatum;
Armat novum forum, adverſus vetus;
Miſcentur incolæ veteris civitatis, cum novæ:
Tot diſſidentia capita in uno conveniunt;
Tot diverſæ voces conſonant;
Voluiſti tuo nomine ab his dehortari:
Cave, ne

(21.) VITA LUAS, IRA!

Spernit tamen monita, qui ſe ſperni putat.
Nec uno impulſu res agitur, ubi tot ad unum compellunt:
Trahitur cum conſentiente diſſentiens,
Armat furor inermes,
Et hæc tentare ſvadet, quæ armati timent.
Ornat juſtitiæ executorem, adverſus judices;
Acuit gladium, adverſus eum, cui traditus eſt;
Expugnat curiam, quam defendere debuit;
Irruit in eum locum, qui ei verendus fuit:
Turbat publica privatus;
Actor Judices condemnat,
Imò non condemnatos ad mortem rapit:
Abſq; ſententiâ latâ capite plectit;
Mox crudelitatem carnifici invidens, munus ejus exercet.
Nil alterum valet monitum:
Cave, ne

(22.) IRATA VI LUAS.

Donec Sigismundus poſt Wenceslaum ad clavum conſedit,
Cujus nomen victorias promittebat, quibus quies paratur.
Magnanimus Princeps ſatis oſtendit, quis eſſet:
Primo diſſolutas res in ordinem redegit:
Majores effeciſſet, nî Fortuna obſtitiſſet,
Frangere tamen animum non potuit, quamvis res fregit:
Oſtendit Sigiſmundus dignum ſe victoriis eſſe, negante Fortunâ:

Egit

Egit in exilium vitia, & dominari juſſit virtutes.
Agnoſcebas, Vratislavia, virtuoſum Regem Hungariæ, Regem tuum,
Cum anteà & vitioſum non negabas eſſe tuum.
Mutatum eſt Sceptrum, & Tu mutari debuiſti;
Mortuus erat tuus Rex, Tu Tibi adhuc vivebas;
Regnabat Rex virtutibus deditus, Tu vitiis parere videbaris;
Puniiſti innocentes, Ipſa nocens impunita manſiſti.
Mirabatur Imperator Te, vel tuum facinus,
Quod ſuſtuliſſet Magiſtratum

(23.) IRA TALI AUSU!

Et ne plura auderes impunitum auſum dimittere noluit.
Inquirit in delinquentes, qui ſe nihil deliquiſſe putabant,
Et cum illis delictum probatum eſt, delinquentes eſſe nolebant:
Qui anteà in publicum catervatim accurrebant,
Nunc ſinguli prodire tergiverſabantur,
Ex audacibus formidoloſi facti:
Qui curiam violabant, hanc ex longinquo venerabantur;
Qui Magiſtratum adorti ſunt, jam abſentem timebant:
Qui ſine proceſſu juris condemnarunt, in jus venire recuſabant;
Qui præ aliis videri voluerunt, latebras quærebant.
Sic variaris, &

(24.) VARIATA LUIS.

Quæruntur anteſignani, ut invenirentur & cæteri;
Citantur à Magiſtratu, ut ſciant eum vivere,
Neq; unquam delere poſſe, quem Deus immortalis conſtituit.
Primarii civium protrahuntur, ut reliqui ſe tutos non putarent;
Siſtuntur judicio, qui Judices violarunt;
Condemnantur ad mortem, qui innocentes non abſolverunt;
Ordine juris puniuntur, qui in tumultu peccârunt;
Capite plectuntur, qui alios obtruncarunt.
Viginti tres tantum ad mortem rapiuntur, ut reliqui omnes ſibi metuerent;
Seniores Tribuum eliguntur, ut juniores cautius ſaperent.
Proſcribuntur cæteri, ut teſtes ſui facinoris eſſent;
Publicantur eorum bona, ut illis animus deeſſet,
Vel ut his meliores gauderent, quibus pejores abutebantur.
Inclementiam indicant S. Clementis Ædes collapſæ,
Harum ruina tuam continuò repræſentat.

Tali modo ſeducta

(24.) A TUA IRA, LUIS.

Malum habuiſti Conſiliarium, idcircò eventus non potuit eſſe bonus:
Quia nec Prudentia regnare poteſt inter tot ſenſus,
Nec Fortuna ſe dividere inter tot capita.
Infortunium experiri neceſſe eſt artus, quo caput gravatur:
Sibi ipſi plebs nocet, cum dirigentibus ſe nocere ſatagit,
Et cum ſuo ſenſu abundare cupit, in alienum rapitur,
Maximè non ſua, cum ſuam ſe eſſe geſtit,
Multiceps, cum ſuum caput invadit.
Hæc Tu edocta, tuos cives doces:
Talia cavete, ne

(26.) VARIA LUATIS.

Unum facinus malum, plura Tibi pœnarum genera peperit,
Ut ſcires Te nullum impunè perpetrare poſſe.
Non opus jam habebis alienis periculis, cum feciſti tuum:
Si ille felix, quem aliena cautum faciunt;
Eò Tu felicior, quæ alienis non indiges.
Sic ex adverſis ſecundæ creſcunt!
Et quæ antea nocuerunt, in poſterum utilia evadunt.
Nec ſolùm pœnæ erogantur ob præterita delicta, ſed & ob futura,
Puniuntur commiſſa, ne committantur punienda.
Ex gravi animadverſione in unum, multi leves terrentur:
Ex pœnis obedientia; ex malefactis, bonæ leges provenerunt.
Tu olim injurias perpeſſa, manes nunc

(27.) AT JURI SALVA.

Non videbunt ampliùs poſteri, quæ majores experti ſunt:
Vicit Sigiſmundus tuam factionem, ut non opus eſſet Tibi Teipſam vinci:
Ultimus primæ Proſapiæ tuorum Cæſarum,
Ac ſi nullo tali porro erga Teipſam indigeres.
Ante infortunatum caſum, fortunata facta:
Priùs quam tuo careres Sigiſmundo, carere debueras factione:
Priùs quam tuum Victorem amitteres, vincere debueras,
Et hoc amiſſo, ut nullum alium laceſſeres.
Vel tali amiſſo, diſcere poſſes: vanum eſſe, iraſci,
Et talem iram ſervare mortali, quæ alios morti tradit.
Non opus eſt letho tam vili adminiculo,

Ira-

Iraſcitur & illis, qui iram puniunt:
Vicit Sigiſmundos; radicitus evertit Imperatoria Stemmata;
Non parcit dignis, quibus parceret:
Publicas perſonas rapit, privatis non opus vindicta,
Sit itaq; tua

(28.) IRA, UT SALIVA.

Citius perit bonum, diutiùs malum retinetur,
Nec tam cautè perficitur bonum, quam diligenter obſervatur malum.
Sæpiùs reticetur bonum, & prædicatur malum:
In ſole non ſplendor, ſed eclipſis obſervatur.
Non mirum, quod Tu Sol Sileſiæ ſemel obſcuratus es,
Ut oſtenderes, Te requirere ſplendorem â Sole Europæ.
Non potuiſti lux minor diu deliquium pati,
Quia ardere deſiderabas ſplendore majoris.
Vel ut ipſa fateris: Cæſaris

(29.) AULA UTI, ARSI.

Dignus tuo ſplendore ardor, quô ſemper ardeas,
Non Te enim conſumit, ſed Tibi adverſantes:
Tali ardore depaſcis inutilem fervorem,
Et quò magis ardebis, eò majorem augebis ſplendorem:
Vel hoc ſolô experimentô incitaris, ut ſemper paria exſpectes:
Nunquam unum corpus ſentit ardorem ſolum,
Sentiunt eundem ſibi adjuncta:
Tu quæſiviſti aulæ favorem, illa Tibi reddidit amorem;
Tu poſcebas utilitatem, illa obtulit, ſalutem;
Tu ſuſpiria ducebas ſub injuriis, illa exercebat jus.
Confiteris ex Te ipſa: quod faveat

(30.) SAT JURI AULA.

Sed amiſiſti penè aulam, dum amiſiſti Sigiſmundum,
Amiſiſti penè Regem, dum amiſiſti Imperatorem.
Non potuiſti planè amittere Regem, quia retinuiſti Imperatoris Generum.
Plus acquiſiviſti, quam amiſiſti:
Conceſſit fatis Stemmatis Ultimus, evexerunt fata alium in Primum.
Primus Rex Albertus rurſùs fuit Hungariæ,
Quia Primus fuit Auſtriacus.
Inter Imperatores dicitur Junior,
Quia illum præceſſerat Auſtriacus prior.

Hæres factus Soceri Regnorum, quia hæres erat virtutum
Primus inter Auſtriacos tuus, ut non alium ultimum ſperares.
Sed pene ultimus erat, dum reliquit poſt ſe ultimum:
Secutus eſt enim Ladislaus Albertum, & Ladislaum nullus.
Tu habuiſti infantem Regem, ſed infans Imperatorem Tutorem,
Tuus idcirco Rex fuit Ladislaus, ſed Imperator Fridericus.
Ita debebas manere,

(31.) SATIVA LAURI

Non potuit alia ſtirps radices figere,
Quia Tu non potuiſſes in aliâ virere.
Floruit Matthias Hunniades, ſed in ſeipſo deſiit:
Tu florere non potuiſti, dum in Podiebradio fermè nullam ſtirpem habere voluiſti.
Succeſſerunt Jagellones, ſed non extiterunt Piaſti.
Vix Vladislaus reliquit Ludovicum, dum relinquit infantem:
Fato quodam Tibi deſierunt imperare infantes,
Ut imperarent Imperatores,
Fruſtrabaris ſpe, cum maximam concipere deberes:
Deſtituta es ſucco, ubi maximum ſperabas,
Nec mirum: Laurui ſemel inſerta, unde ſuccum meliorem trahere poſſes?

(32.) AITIS? A LAURU.

Confidentèr reſpondere videris, ac ſi ſcires cui confidere poſſes:
Vel tua jam loqueris, quod tutam Te futuram divinaris.
Tutiorem adipiſci non potuiſti umbram, nec conſtantiorem:
Viret ſemper laurus; Tu non vigere non poteris:
Victoriæ eſt ſignum; non aliquid erit tuum:
Non mutatur ad partes anni; Tu non mutaberis ad plagas mundi!
Solum veneraberis Auſtrum, quia huic favet Laurus:
Nec quisquam dignior Imperatorio Lauru, niſi ſit Auſtriacus;
Nec Tibi ulla arbor eſt acceptior, hâc Auſtriâ,
Nec Cedrus optas ſit perennior, hâc ipſâ
Confirmas, quæ dixiſti:

(33.) ITA, AI, LAURUS.

Bono Omine Tibi incipit præeſſe Ferdinandus I,
Ut Illi ſuccederet II & III.
Non ſtatim initio habebas Cæſarem, ut haberes in fine:
Non rexit Te Cæſar, ſed frater Cæſaris,

Ut haberes, à tuis partibus, alterum fratrem, Regem; alterum, Cæsarem,
Et cum cessaret Carolus V, ut inciperet Ferdinandus I.
Sub hujus Regimine

(34.) ALTA RUIS VIA.

Mirabili modo altissima turris, culmine privatur,
Sine ullâ vi, tanta vis collabitur;
Ex tantâ altitudine, tanta moles, sine damno, decidit,
Nullam ruinam efficit, quam sui ipsius.
Vix verisimile apparet, quod verum est:
Cadere turrim inter tot domus, & nullam attingere:
Tantam molem labi, & nullam committere labem;
Ruere, nec sui totam sumere ruinam!
Privata es fastigio, non ut eo careres, sed ut novo ornareris:
Labefactatum illud erat tot mutationibus, necesse erat ut aliud confirmaretur;
Parum firmum erat sub aliis Regibus, sub Austriacis firmius futurum.
Non forte fortunâ concidit sine damno,
Sed ne damnum sub his metueres:
Nocte Matthiæ fit lapsus,
Ut hoc damnum pro Dei dono reputares:
Vel parentare voluit tali casu ultimo Matthiæ,
Ut nullum ampliùs alium, quam Austriacum exspectares:
Austrum versus procidit, ut se illi supplicem indicaret.
Et hæc nomine Urbis Urbi significaret:

(35.) AULA TUA IRIS.

Sequitur humiliationem, exaltatio;
Tempestatem, iris; Infortunium, Clementia.
Spoliata eras ad tempus ornatu,
Dum alterum in perpetuum accepisti.
Non vulgare conspicitur Austriacæ Clementiæ signum, Tua Insignia.
Quinq; intus signis decorantur, ut ea à Carolo V scires provenisse:
Primum repræsentat Leonem Bohemorum; alterum Aquilam Silesiorum,
Utrumq; regium animal, ne Te vulgarem esse judicarent:
Tertium refert Caput S. Johannis;
Et indicat Insulam Episcopalem, & ob hanc, vetera insignia:
Quartum oculis subjicit tuam literam Polonicam vel Bohemicam;
Ut haberes recordationem statûs pristini:

Infimum ac ſupremum Johannem Evangeliſtam,
Ut Te ſcirent ſub Carolis nondum defloratam eſſe;
Superior ex utrâq; parte vexillum tenet; & virium, & Victoriæ ſigna:
Paſſo capillo; ne ullum adjumentum formæ conſpiciatur.
Satis comta es, &

(36.) LAVATA VIRIS.

Fauſtum dilatandi Evangelii ſignum,
Vel, ut vulgo oculi ſubjiciunt, ſpeciem Virginis inſerit Coronæ,
Multis placuiſti, quibus placere nolebas,
Muta invitatio eſt pulchritudo,
Et Tu ideò maximè attrahis, cum minimè cupis.
Dimidiam formam tantùm oſtendis, quid, ſi offerres totam?
Coronâ illa tegitur, dubium: an pulchriori, vel pretioſiori:
Deformior eſſe non potes, ubi pretioſior exiſtis.
Vincit pretioſitatem æſtimatio.
Conveniunt ſimul & pulchrum & pretioſum eſſe, & plurimi æſtimari.
Coronâ dignus ſit, cui placeas:
Aliàs Coronam violabit, niſi Te cum Corona capiat;
Vel Coronam frangat priùs quam Te rapiat.
Potes gloriari: Sum

(37.) ITA SALVA, VIR!

Salva es, quamdiu ſalva erit Auſtriaca Domus,
Quia Te retinuit ſalvam, dum alii cuperent perditam.
Non diſplicuit Maximiliano II, quod conceſſit Ferdinandus I, & Carolus V,
Pari animo in Te erant, Rudolphus II, cum Matthia II:
Tribus Secundis ſecundam fortunam debes,
Qui Te volebant eſſe felicem, & optabant ſalvam
Concedebant q; Tibi incedere

(38.) SALUTARI VIA.

Creſcebas creſcente Religione, florebas decreſcente,
Quidni floreres purgata?
Non cupida eras novitatis, quô nomine antiquitas notabatur,
Sed amplexa es antiquam Religionem, quæ nominabatur nova,
Et idcirco nuncupata nova, quia erat antiquata.
Tu inſpiciens doctrinam antiquam, animadverti ſti eſſe non novam,
Et ſecuta es illam ut novam, quia Tibi anteà inauditam.

Non

Non culpaſti illam veterem, laudaſti hanc tanquam antiquiſſimam:
Neminem coëgiſti deſerere ſuam veterem,
Modo Tibi conceſſum eſſet adhærere tuæ novæ.
Voluiſti tantùm frui

(39.) SVAVI LATRIA.

Dederunt Tibi hanc poteſtatem Imperatores, & retinuerunt ſuam:
Non obſtabas enim illorum potentiæ, ſed Te ſubmittebas Clementiæ:
Et illi ſciebant imperare ſe poſſe Tibi, non verò conſcientiis,
Neq; vi externâ opus eſſe, ubi interna regnaret.
Tu pariter non mutaſti amorem erga Imperatorem, ſed auxiſti.
Tangeris Religione, cum audis nominari Cæſarem.
Diſcis fundere vota pro Cæſare: & reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.
Reputas eum hoſtem, qui ſit hoſtis Cæſaris.
Non unquam reformidaſti hoſtem, ſed timorem ſervaſti Cæſari:
Clemente Cæſare parata es conſervare

(40.) SUA ALTARI, VI.

Concitat vis interna Religionis, ad vim externam vires:
Non floccifacit arma Conſcientia recto ſenſu armata:
Obtrudit periculo corpus, ut animam ſervet;
Haud extimeſcit gladium, qui animam non ſauciat.
Pati permittit corpus laqueum, ne illaqueatur.
Ovans excipit rogum momentarium, ne æterno excipiatur:
Tormenta, illi deliciæ; vulnera, fortitudinis decus;
Fames, delectamentum; infamia, gloria;
Triſtis perſecutio, gaudium; egeſtas, ſpes divitiarum;
Martyrium, corona; & ipſa mors, melior vita.
Hæc ſanæ mentis ſolatia, inſania turbat.
Plebs malis affectibus abrepta, in pejores ruit,
Et Tu Plebs

(41.) VI ALATA URIS.

Mores ſunt amplæ civitatis, ut inter virtutes exſpumet vitia.
Religio virtutibus ornata, fit tegumentum ſcelerum.
Urit ardor non pietate accenſus, ſed irâ:
Prætexit cauſam Dei, ubi quærit proprium emolumentum:
Tollere vult imminentem noxam, & majorem infert:
Invidet alterius Zelo, & proprium fovet:
Perſequentes vult propellere, & eo fit perſecutor:

Odit

Odit damnum, & facit; metuit vim, & hanc intentat;
Amare debet quietem, & clauſtra perrumpit:
Non approbat doctrinam, & juxta eam facit.
Idcircò Tu detegis fervoris larvam,
Et doces pietatem algere, ubi impietas dominatur,
Nec veræ Religionis eſſe, Religioſos intempeſtivè turbare:
Tuum autem eſſe, ut

(42.) TALIA VI URAS.

Tollis talem vim, ut aliam non metuas:
Nec timere Te vis alios, niſi qui Cæſarem non timent.
Non cupis tuam vim adhibere, niſi ubi conceditur à Cæſare.
Servas ſemper vires, ut iis uti poſſis:
Nec provocas hoſtem, nec cum eô colludis:
Noluiſti unquam eſſe ſubdita hoſtis, ut maneres Cæſaris.
Habuit Ferdinandus II hoſtes, habuit & ejus hæres Ferdinandus III,
Et quod à Secundo devoluti ſunt ad Tertium, tricennale bellum abſolverunt:
In quô cum tota Germania conflagravit, Tu incolumis manſiſti:
Tua occludebatur

(43.) VALVA IRATIS,

Et immittebantur, qui hoſtilitatem deponebant:
Non ut eos juvares, ſed ne Tibi nocerent.
Non mirum eſſet, ſi alterutri parti faviſſes,
Cum utrâq; Te juvare, vel perdere valuit;
Cumq; videres totum Imperium ruinam pati,
Ut illæſa Imperatori ſervareris.
Stare à partibus hoſtium non potuiſti, dum læſerunt partem tui.
Occuparunt tuum caput, ut intentarent cordi periculum,
Ac vacillante coronâ, ipſo capiti illuderent.
Arbitrabantur ſe mox in continentem venturos, ſi inſulas occupaſſent.
At experti ſunt, tantum peninſulas occupatas,
Et reſtare majorem inſulam occupandam:
Diffidebant viribus ſuis, nam ignorabant tuas,
Vel noverunt tuas eſſe majores ſuis, & experiri eas nolebant.
Ideò civis tuus hoſtem

(44.) RISIT A VALVA,

Inter tot triſtes caſus ſolatia capere potuit:
Expertum eſt Imperium periculum, Tu de illo tantùm audiviſti;

Inun-

Inundavit hoſtis omnes Provincias, qui tuos muros vix attigit;
Incendiis graſſatus eſt, quorum fumum ſolùm vidiſti;
Depopulatus eſt ipſam Sileſiam, Tu ſola in flore manſiſti;
Effundebat ſangvinem innocentium, Tu Juſtitiam exercuiſti;
Miſcebantur omnia vitiis militum, ad Te incerta tantùm malorum fama pervenit;
Rapinis jam Germania non ſufficiebat, Tu ſola in poſſeſſione gaudebas,
Vel uti Te explicas:

(45.) AVARIS LATUI,

Subit mirari, quomodo latere potuiſti, in propatulo ſplendens.
Nihil ſufficit avaritiæ, nihil illi obſtat atq; officit.
Non abhorret pericula, ut ſibi periculum paret;
Vitam ipſam impendit, ut plus, quam vitæ ſufficit, acquirat.
Illecebræ illi commodum, cum nullum ſentire poteſt;
Ea magni facit, quæ ipſa poſſidet,
Et eadem, quæ cuſtodit, parvi aliis vult eſſe;
Semper illi aliena bona magna, propria majora, minima;
Inhiat alienis, quæ videt, propria, vel ſola, videre timet,
Et quò plus ſperat, eò plus fomenti fovet;
Non parcit labori, ut inter opes inopiâ laboret.
Quid, ſi avaritiæ conjugatur inopia, & prodigalitas?
Martis hæ olim gregariæ, vel gregis comites,
Paratæ omne periculum ſubire, ne periclitentur.
Tu vero & dives, & aliorum repleta divitiis,
Retinuiſti, quod alii amiſerunt,
In Te ſolâ remanſerunt

(46.) AURATI SALVI,

Cum finiit bellum tricennale Ferdinandus III.
Tertius nominabatur poſt quatuor Secundos, & merebatur locum Primi:
Suſtentabant ſecundam Fortunam Secundi, Tertius adverſam avertit.
Debes itaq; Auſtriacorum V & I ornatum, Secundis felicitatem,
Tertio pacem,
Debes omnibus Conſcientiarum Libertatem:
Imò plus debes, quia debes omnia.
Sub illorum enim Aquilæ alis foveris, & defenderis.
Sola tantùm avium Te Aquila tegere, & defendere poteſt,
Sola juvare, & quocunq; tempore nocere.

Sed prius laudas, cum dicis:

(47.) JUVAT ALARIS.

Senserunt Tui Majores auxilia in cœlo jam Regnantium,
Sentiunt tui Incolæ adhuc in terris Regnantis:
Stabant à tuis partibus anteceſſores contra hoſtes, hic contra inimicos.
Habuiſti poſt tot mutationes Auſtriacum Ferdinandum I,
Nunc poſt tot turbas habes Leopoldum I.
Inter Primos Primus hic collocandus eſt,
Quia facta eum nominant Magnum.
Nondum tamen conſtat, utrum Factis, vel Clementiâ dicendus ſit Magnus,
LEOPOLDUS PRIMUS, MAGNUS IMPERATOR.
Ipſum Nomen divinitùs conceſſum ita divinatur:
PLENE OPUS MIROR, PLUS GRATIAM DOMUS.
Tranſcendit jam terrenas laudes, dum æthereis dignus eſt,
LEOPOLDUS PRIMUS, MAGNUS CÆSAR,
Spernit humana Encomia, dum penè divinis abundat:
GENS CARPAS LAURUS, DUM EMI POLOS.
Nihil efficit humanum ingenium, quô Heroica Facta poſſet æquare.
Proponitur arti alter Primus, futurus Magnus,
Qui ſuccedit Primo jam Magno,
JOSEPHUS PRIMUS FELIX ROMANORUM REX,
Hujus nomen laudis plenum, ad laudem provòcat artem:
IMPERIO COLUMEN, FESSIS PRORSUM: HUC ARS!
Tu rurſùs & Cæſare & Rege, id eſt, duplici felicitate abundas.
Sub quorum Aquilæ alis tamdiu florens,
Præteritum tempus futurum optas,
Plenis præcordiis clamando:

(48.) VIVAT ALARIS!

Nec Te aliud decet optare, quam ut Ille feliciter vivat,
Sub cujus auſpiciis felix vivis.
Non enim feliciter vivere potes, niſi Ille vivat felix:
Tua felicitas ab Illius pendet,
Et illo infelice, magnum haberes venturi Statûs prodromum,
Citiusq; perdere felicitatem veterem, quam ſperare novam liceret:
Vel quod idem eſt, perdere certam, ſperare incertam.
Vixiſti hactenus felix, quod Cæſar fuit fortunatus:

Ver-

Versâ aleâ, verteretur & tua fortuna.
Imò Tu mutareris, si illum videres mutatum,
Nec desiderares Illo infelice esse felix,
Semper enim fuisti fidelis, veluti Cæsarum

(49.) AULIS JURATA.

Servasti semper jusjurandum, quod semel præstitisti.
Maluisti repugnare Regi nondum recepto,
Quam non servare fidem electo:
Nunquam perjura facta es Cæsari,
Quamvis semel oblita sis sui ipsius.
Jure antiquo gaudes, ut præsenti Regi jures,
Sed si absenti juraști, plus jure jusjurandum observas.
Adoraști omnes Reges plerosq; præsentes,
Veneraris & Leopoldum absentem.
Animus fuit & hunc excipere honore præsentem,
Quem ex longinquo exhibes absenti.
Parasti viam honoris, ut laureatum submissione coronares;
Sed reponere jussit invidia temporum apparatum,
Ut semper parata esses facere, quod exhibere voluisti.
Abundè absq; ornatu ornata es, exspecta, exspectatissimum
Et

(50.) STA, LAURI, VIA.

Puniviști invidum Fatum, ne Tibi porro Cæsarem invideret;
Indigna facta est ut pateret,
Dum non fuit tam felix, quam Cæsar intraret vel egrederetur.
Promittit sibi nova felicitatem novam,
Et gestit excipere Cæsarem veterem & novum,
Sed non alium novum, nisi ex veteribus oriundum.
Propterea ne alius, quem non desideras, intraret,
Novum aggerem apponis.
Non contenta es munimine veteri, audiens de bellis novis,
Et paras excipere hostem novum, de propugnaculis novis.
Gaudet

(51.) VI TUA ALARIS.

Sic vis tua excrevit, ut etiam Cæsari placeat,
Displicere quoq; non potest, quæ pro Cæsare exstructa est.
Septuaginta quatuor numerantur in muro turres,

Ut sciret hostis tot sibi esse obstacula;
Circumdat mœnia vallum, ut hosti plus lateres;
Excipit vallum fossa, ne pernicies deesset;
Fossam cingit agger, ut majus periculum sequi indicaret.
Suppellectilem bellicam duo servant armamentaria,
Ut Te scirent bis esse firmam.
Ex his officinis prodeunt machinæ ignivomæ,
Et gaudii, & terroris instrumenta.
Quot fenestræ in castellis, tot prospiciunt tormenta ærariæ,
Et moles apposita, ubiq; oneratur machinis oneratis,
Quarum usum in bello proponunt exercitia in pace;
In pomœrio, & extra mœnia præmia jaculando petuntur,
Certantq; Tormenta cum Bombardis.
Sex stadia Urbis Diameter consumit, ex hoc de Perimetro,
Ex Perimetro de numero armorum conjicere licet.
Nonne es hosti

(52.) LATA IRA, VISU?

Non ab arte solâ, sed & à naturâ munita es:
Alluunt Te duo flumina, quæ à tuo tergo coëunt in unum.
Ultrà quatuor milliaria comitatur Ola à latere Viadrum, quem hìc demum assequitur:
Nuptias hic videtur celebrare Viadrus cum Ola, & Tu illis apparatum facis:
Ex altera parte, quasi ex composito dispanduntur, ex altera miscentur.
Viadrus Septentrionem respicit, Ola Meridiem lambit,
Ambo idem officium præstant gratum:
Viadrus varias agitat molas extra mœnia,
Quod Ola facit in ipsâ Urbe:
Ille unam partem urbis defendit;
Hæc alteri in fossâ aquam ministrat:
Ille dividit Urbem ab Insulis;
Hæc civitatem novam à veteri:
Et, priùs quam conjunguntur, in mutuum adjutorium videntur currere.
Potes

(53.) LAVARI A SITU,

Præsertim à Septentrione, ubi respicit Weida Viadrum,
Et cum eo brachia copulat, paulo post illi nuptura:

Non-

Nondum conjunctionem petentes, in hoc jam consonant,
Lacus simul & voragines faciunt, divisi.
Nonnunquam Viadrus vi conjunctionem petit cum Weidâ,
Factâ eluvie rumpit limites & suos, & alienos:
Cursu suo facit vias invias:
Aggeres lapidibus stratos convertit in fossas;
Ex pontibus efficit pontones.
Justè conquereris:

(54.) VILAVI SARTA.

Sæpiùs inundationes, & cum his maxima damna sensisti,
Plerumq; præsens damnum vaticinabatur de futuro:
Sequebantur inundationes aquarum, diluvia populorum:
Diripiebantur tuæ viæ, Tu vero sarta tecta mansisti.
Nocebant flumina eminùs, proderant cominùs:
Crescente Oderâ, crescunt & tua commercia:
Addit illi incrementum alas, ut celeriùs mercem vehat,
Prout Tu loqueris:

(55.) RIVUS ITA ALA.

Cingit Te Odera & Ola expansis alis similes,
Præstant suo cursu, quod currus præstare haud possunt:
Alæ sunt mercibus secundum servantibus cursum,
Adversum tendentibus vela supplent alas.
Advolant superiores populares cum mercimoniis deorsum,
Accelerant inferiores sursum.
Tegunt volucres pullos suos alis, nonnullæ eos & alis defendunt;
Pari modo Tu tuis fluviis & defenderis, & faveris:
Arcent accessu peregrinum, & tuis securitatem præbent;
Vitæ minantur aliorum, & tuam sustentare juvant.
Fovet carpiones Odera, qui & in fossâ ludunt:
Comitantur alios pisces & esoces, ne dispar esses urbis maritimæ:
Servis statim piscatoriæ

(56.) ARTI A VALVIS.

Sed hæc sunt minima, quæ majora excipiunt:
Quod alæ avibus, id fluvii Tibi prosunt.
Horum beneficio Tibi junguntur peregrini, nec dividuntur cives:
Ministrat aqua, penes cætera, materiam igni.
Minori flumina sumtu ligna advehunt, ut majori commoditate abundares:

Qui

Qui verò terrâ opem amicam ferunt, vel petunt,
Illis & aqua dorſum calcandum amicè præbet.
Novem aditus exſtruxiſti, ut plures portas haberes, quam Thebæ:
Anteis celebritate Thebas, quamvis tantum ſeptem portas patefacias.
Tot habes pontes extra urbem, ſed plures in ipſâ urbe:
Quatuor numerat foſſa, quingꝫ Odera, ſed plus utrâgꝫ Ola;
Qui numeri plerigꝫ impares, efficiunt (vigenti quatuor) parem,
Manet tamen impar, dum turres Magdalenææ repræſentant ſupremum.
Servit porrò tua

(57.) ALA RATI, USUI;

Uſui, non ſolùm communi, ſed & ſingulari;
Ubi deſunt putei, eorum vicem ſupplet hydraulum,
Per totam fermè urbem deducit aquam, ne ulla domus eâ careat;
Et quâ domus affluunt, eâ & turres abundant:
In domus eam induxit neceſſitas, in turres extulit cautus ordo,
Ut haberes paratam aquam, ſi aſcenſum flamma pararet,
Ac tuâ prudentiâ ſuperares vim & naturam ignis.
Non deſunt & infrà ſiphones, quibus cogis aſcendere aquam, quo jam flamma aſcendit,
Prohibes tuo apparatu, u nullum apparatum conſumat,
Tuogꝫ celebri ordine, ut nulli amplius in ordine domui noceat:
Siccine exiſtis

(58.) LAVATA RIVIS?

Pulcher tuus ſitus reſpondet ſimili ſigno cœleſti,
Sub Virgine poſita ornatum amas,
Quô ſic culta es, ut pulcherrima inter alias Germaniæ nominaris.
Non parum augent cultum tuum, ædificia cultui divino dicata:
Certat templum Cathedrale Sileſiæ, cum Cathedrali Galliæ:
Simile repræſentat Vratislavia Sileſiis, quale Rothomagus Gallis.
Alterum templum cum tertio ſimul poſſidet Inſula:
Videlicet duo templa ſub uno tecto,
Et duo auditoria inter eosdem parietes:
Unum alteri impoſitum eſt, S. Crux, S. Bartholomæo.
Hæc repræſentant numerum reliquorum,
Duo apparent, & tres reipſâ ſunt;
Duo denarii accenſentur Eccleſiæ Romanæ, & triginta numerantur.
Nonne abundas

SUA

(59.) SUA VI ALTARI?

Quot numeras ædificia sacra, tot prospiciuntur ornamenta politica:
Sed majora ferè sunt eorum ornamenta privata,
Quam tua videntur publica;
Et majorem continent pretiositatem intrinsecùs,
Quam magnificentiam extrinsecus.
Quodlibet altare admirationem parit, quælibet pars oculos ad se allicit;
Ubi deficit grata antiquitas, ibi resplendet rara novitas:
Honores positi mortuis, sunt delectamento vivis.
Nec soli marmori splendorem debent epitaphia,
Certant cum eis suggestus, cum suggestibus in Insulâ Sacellum.
Taceo nunc alia: hæc solùm tuis verbis precor:

(60.) VIVAS ALTARI!

Non irrita vota tuo nomine continentur, omen præsagiunt:
Vidisti damnum turris, nondum vidisti altaris;
Experta es ruinam columinis, salvo altari;
Corruit tertia pars fornicis, non nocuit altari;
Perdiderunt sonum Organa, resonabat altare;
Corruerunt tandem Organa, immotum stetit altare.
Ablegavit Te suâ labe Elisabetha, ut sequereris cultum Magdalenæ,
Ut hoc casu erudita, ad divina genua procideres,
Lachrymis q; ablueres tuas labes, ne majores Te obruerent.
A divinâ Domo damnum initia sumsit, ut sibi profanæ metuerent.
Lata hæc ruina indicabat, quod

(61.) LATA RUIS VIA,

Id moris etiam habent amplæ civitates, ut amplis vitiis pateant,
Et oberranti multitudini ad errores dantur;
Sæpe magnas virtutes non minora vitia comitantur,
Tanta colluvies hominum, inficit vitæ puritatem,
Cum fundum petit ruinas contrahit,
Tuô casu edocta es, quantô casu ruisti.
Quantum damnum meruit Vratislavia, dum tantum tulit Elisabetha.
Tantâ plagâ percussa Domus sacra, indicat quantâ profanæ percutiendæ.
Nullum damnum Auditoribus intulit, ut omnes futurum caverent;
Nullum læsit in corpore, ut discerent consulere animis.
Secuta est exemplum turris, sed nec ullum quadrupes vitâ privavit.
Monita, quæ auribus instillabat, oculis subjicit,

Ut

Ut Te muti moveant lapides, cum dictis moveri non possis,
Ac Te doceant: Ne

(62.) RUAS TALI VIA.

Sarsisti tua damna, ut firmior maneres,
Et similem animum ab omni piaculo conservares.
Præstas Deo in sacris Ædibus servitutem,
Quam conscientia e Scripturis edocta judicat esse veram;
Servas instituta majorum, & observas plenariam libertatem,
Præsertim in Templis, quæ spectant tuam Remp. libertate donatam.
Non culpas aliorum cultum, ut inculpata maneas;
Cantas horas canonicas, & prædicas Evangelium;
Non spernis alia adiaphora, modò non æstimentur necessaria.
Tria magna Templa videntur ob frequentiam parva:
Reliqua minora ob præclaros auditores apparent magna.
Quotidie dies Dominicus à populo repræsentatur,
Dum Deum supplex adorat.
Pacis sunt tua Templa, quia nunquam de die clauduntur,
Bellum noctu furibus canes indicant, qui ibi vigilias agunt.
Ter quot-septimanis in diebus profestis pro concione habitatores doces,
Ut semper cultum divinum servent,
Qui mutatis Ædibus quotidiè ferè vacare concioni possunt.
Quis Tibi tuis verbis non optaret?

(63.) VIVAS LATRIA!

Penes hæc Oratoria Sacra, habes & Oratorum adminicula: Bibliothecas.
Ibi docent vivi vivos præsentes; hic mortui & absentes vivos.
Nolo dicere quo pacto hic Thesaurus crescente Religione crevit,
Malo dicere de illius flore, qui Te decorat.
Nec frustrà consumam sermonem, de illis,
Qui injuriâ temporum consumpti sunt.
Nec de iis, qui extra tuam, in aliena sunt potestate.
Duæ sorores hôc ornatu certant,
Et priùs ferè ornari cœpit Maria Magdalenâ,
Licet primus honor habeatur Elisabethæ.
Hinc illam instruendi initium fecit Theologus; hanc Nobilis.
Diceres ad conditionem vitæ, accommodatum sacris Nominibus apud posteros statum:
Elisabetha habet ornatui destinatum locum severiorem versus Septentrionem;

Maria

Maria Magdalena hilariorem versus Meridiem:
Illa gaudet rarâ antiquitate; hæc præstanti novitate:
Illa ostendit varias effigies in nummis: hæc in ære impressis chartis:
Illa imitatur speciem Bibliothecæ Regiæ; hæc Vaticanæ:
Illa invitat ad sui considerationem septem sapientes; hæc eos repræsentat.
Utrag3, imo & tertia Civitatis Novæ, est Doctis charissima

(64.) AULA, VI ARTIS.

Non potes carere Doctis, quia non cares illorum Seminariis;
Fundata est sub Auspiciis Leopoldi Academia,
Sub tuâ directione duo Gymnasia:
Altero decoratur Elisabetha; alterum ornat Magdalena.
Utrumg3 respicit sedem utriusg3 Bibliothecæ,
Ut declararet eam sibi esse curæ.
Elisabethanum est magnificè exstructum;
Magdaleneum non incommodè quog3 locatum,
Illud magnis Auditoriis est instructum;
Hoc non minus Auditoribus repletum.
Ambo celebritate certant, & adjutrices manus sociant:
Visitat in Theologicâ Lectione Elisabetham,
Ut sciant auditores eandem doctrinam utrig3 esse.
Respondet Civitas Nova Veteri,
Aptatg3 cives, in suâ Scholâ, Gymnasiis.
Imò quot Templa conspiciuntur, tot Scholæ numerantur.
Non in meris hæc verbis constant:

(65.) SUA ARTI ALUI.

Præter hæc ædificia Deo destinata, habes & alia pro Alumnis Dei:
Invenitur Nosocomium divitum, & pauperum,
Id est, vilioris & vilissimæ fortunæ hominum:
Non desunt Orphanotrophia, & Hierocomia pro bonis,
atg3 Ergastulum pro malis.
Sed hæc omnia stant curâ Curiæ,
Quæ nunc est Urbi, quod olim fuit Burgus Regioni,
Cum ex Sede Principis, facta est princeps Sedes Musarum,
Et Status Principum, Curiam Consiliorum Sedem habent,
Hîc concluditur, quæ Cæsar Silesiæ proponit.
Non tantum horum est,

(66.) AT JURIS AULA.

In quâ quicquid apparet, ad exercendum jus est dispositum.
Hic continuò expectant apparitores, ut injuriam ferenti accurrant;
Ibi patent conclavia, ut jus quisq; petat:
Hoc repræsentat Amplissimum Senatum;
Illud Prudentissimos Judices.
Reliqua serviunt necessitati, vel Justitiæ exequendæ in honoratioribus.
Superiùs exercetur Justitia distributiva, inferiùs commutativa;
Superior pars continet curas publicas, inferior privatas;
Superior dicenda est domus judiciorum, inferior commerciorum,
Ubiq; prædominante jure, cum & ipsa cella curiæ jus receptum servat,
Et inter pocula, neq; personarum respectum, nec oblata munera spectat,
Qui contra illius leges vel mores designat, sine discrimine punitur,
Ut nullus se putet excusatum, qui discrimen loci non observat,
Omniaq; fiant:

(67.) SUA JURI LATA.

Nam quæcunq; curiam respiciunt, nil nisi Justitiæ adminicula sunt:
Magna trutina in foro justum mercium pondus examinat,
Quod minor sub curiâ demonstrat.
Turris justum horarum spatium dimetitur,
Cui pulsu campanæ respondet Elisabethana;
Hanc imitatur Magdalenæa;
Sonitum concludit Civitatis Novæ,
Ut simul in Urbe Veteri & Novâ justus ordo servetur.
Hæc maximè prosunt Incolis, & adjuvant exteros:
Nec solùm jus tuum est pro tuis civibus, sed pro totius Silesiæ;
Dubiæ leges cum referuntur ad tuos Judices, eorum rogitatione fiunt claræ;
Lis si tuo in foro arripitur, non manet sub Judice,
Tibi etenim

(68.) VIVA LIS RATA.

Respiciendo privatas tuas domus, tum penè videntur publicæ.
Inter tuos cives dantur Principes, Comites, Liberi Barones, & Nobiles habitatores.
Illorum Palatia sunt tuæ domus,
Et tuorum civium ædificia sunt similes illorum Palatiis.
Sunt inter illa, quæ hospitio exceperunt Reges, & quæ inhabitarunt Cæsares.
Inveniuntur & inter splendidas viliores,
Dum impossibile in mundo est, omnes homines esse pares.

Non

Non minuunt contraria ſplendorem, ſed augent,
Eoq; magis altera apparet

(69.) A VITRIS AULA.

Ita enim feneſtris ſunt ornatæ, ut non plebejæ appareant.
Sed maximum illorum ornamentum ſunt ipſi hoſpites,
Horum induſtriâ huc usq; proceſſiſti,
Et gloriam, quam poſſides, illis debes,
Pro tuâ enim Rep. vigilant octo Senatores, & undecim Judices,
Vel tot ſimul Senatores, ſed octo tantum Conſulares:
Non uno enim munere fungitur, qui Senatoris titulum gerit.
Utraq; pars habet ſuum Præſidem, & unus tantum dicitur Præſes:
Ad hunc honorem ordine evehitur, illôq; morte privatur.
Ipſe Præſes eſt ex Generosâ Proſapiâ, quia plerique Senatores ſunt Patricii.
Et quidem tales, qui Sileſiam Patriam multis illuſtribus Familiis auxerunt.
Sunt præter hos & duo Syndici, non minus Nobiles, quam Docti:
Totidemq; ſunt Prætores, quia Urbs in tot partes componendas lites diviſit.
Hoc tam Magnifico Magiſtratu

(70.) JURA TUA ALIS.

Jure illorum Catalogum ſervas, qui Te tot meritis ſervarunt.
Et tot claris imaginibus parietes ornas, qui Te ipſam exornarunt.
Digni ſunt, ut ſingulos poſteritati laudibus commendes,
Qui & futura tempora reſpiciunt.
Ego Te ſolam beatam prædico, quod Tu eorum conſiliis acceptum refers,
Et tuæ laudes penè ſunt eorum.
Acquiſiverunt & proprias tuis pares,
Dum fuerunt tui Senatores, & Principum Tutores:
Non levis eorum amicitia ducebatur,
Dum Ducum natos ê ſacro fonte levarunt.
Sed hæc quoq; laus tua eſſe videtur, quia illi tui fuerunt.
Hanc enim ita ſibi approprias:

(71.) TRIA SUA ALUI,

Prudentem Magiſtratum, Sapientes Doctores, dicto audientes Cives.
Hæc tria excipiunt alia tria, ſed eadem:
Magiſtratus fidelis Cæſari, Doctores Religioni dediti; Cives utriq; ſtudentes.
Hæc tria ſequuntur eadem tria ſed alia:
Religio, Libertas, Ordo.
Iisdem tribus adhærent alia tria, & penè eadem:

Status Eccleſiaſticus, Politicus, & Oeconomicus.
Ad hæc tria pertinent alia tria:
Celeberrimi Theologi, Jurisconſulti, & Medici.
Præter hæc tria, dantur & alia tria:
Clariſſimi Philologi, Oratores, & Poëtæ.
Eadem tria excipiunt alia tria:
Præſtantes Mercatores, Artifices, Opifices.
Adhuc alia tria in Te conſpiciuntur:
Tria fora, tres celebres Inſulæ, & tria Auguſtanæ Confeſſioni addicta
Templa Cathedralia.
Tandem ter tria, & omnia alia, concludunt, ter tres portæ.
His omnibus es, cujuslibet

(72.) VIVI, ARS ALTA.

E terno numero prodeunt ſecundi Theologi,
Qui artem altiorem ſuâ ſectari non poſſunt,
Cum hæc Altiſſimum reſpiciat.
Hos puros amaſti, & ſemper habuiſti:
Hinc nulla in Te ſecta orta eſt, dum oriri non paſſa es hypocriſin.
Obſervas monitum Imperatoris, & receptam veritatem ſanctè ſervas.
Tui Doctores pacem Tibi ſvadentes eandem colunt,
Non prodeunt in certaminis arenam etiam provocati,
Non ut timoris inſimulentur, ſed ne timere cogantur.
Gaudet Eliſabetha aliarum Eccleſiarum & Scholarum Inſpectore,
Magdalena Primario Paſtore, & Neapolis Præpoſito.
Illæ duæ habent quatuor Diaconos quælibet,
Quos & Bernhardinus numerat duos.
Hi omnes, ut eorum munus exigit proponunt Evangelii

(73.) SUAVIA ΑΪΤΡΑ.

Cætera ſic ordine ſunt inſtituta, quem recenſendo vix aſſequi licet.
Ordo monſtrat cuilibet Eccleſiæ ſervientium, quid ſit agendum;
Ordo cultum divinum inchoat, & finit;
Ordo inter ipſa Templa convenientiam diſponit,
Ordo facit, ut totâ penè Die Dominicâ, & totâ Septimana quotidiè audire conciones liceat.
Hunc ordinem multi ordine obſervant:
Die Solis ferè totâ Sacris vacant,
Per Septimanam Templa mutant,

Ut

Ut quotidiè verbum Dei audiant.
Nec poteſt negari: quod piorum cupiat
(74.) VITA SALVARI.
Ordo eccleſiaſticus eſt imago ordinis reliquorum Statuum;
Inprimis & in Scholis, ubi totius vitæ ordo diſcitur, obſervatur:
Ordine docetur, ordine ſuperiores gradus mutantur,
Sola mors interdum, rarò dignitatis reſpectus hunc turbat.
Ibi Theologiam juventuti proponunt duo Theologi,
Qui in templis adultos inſtituunt,
Ut ſciatur, non aliam doctrinam tractari in Scholis eâ,
Quæ auditur in templis.
Profeſſores diverſi nunc eſſe in idem emolumentum videntur:
Rectores, alter antiquitatis; alter novitatis avidus:
Profeſſores, alter excellit in Hiſtoricis, alter favet Philoſophis;
Sequentes, alter Eloquentiam explanat; alter Matheſin enucleat.
Nec deſunt, qui Chriſtianos erudiunt in lingvâ Hebræa,
Et exercent Germanos in linguâ Græcâ:
Non minùs & reliqui Præceptores inſtillant Romanam,
Docentq; juventutem ornate loqui Germanicè, ac ſcitè Latinè,
Ut ſe ſciret ſub imperio Romano-Germano vivere.
Ita, ut ſis
(75.) USU LATII ARA.
Habuerunt olim in Latio refugium Scientiæ, quod nunc invenerunt in Te,
Ideò non contenta eras uno Gymnaſio, ut eas commodiùs exciperes.
Ad quarum propagationem, media poſteritati propagas:
Alis adoleſcentes pauperes, & allicis divites;
Excipis rudes, & effingis eruditos,
Vel ſi non omnes evadant eruditi, certè eruditioni faventes.
Non inſtitutioni adſcribenda eſt culpa, quam perverſitas contrahit,
Ubiq; prævalet malum, licet ſvadeatur bonum:
Nec opus eſſet impelli ad bonum, ſi non eſſemus proclives ad malum.
Naſcimur omnes homines, non omnes evadimus humani:
Tendunt multi ad metam multi extra cancellos vagantur.
Sufficit Tibi profiteri:
(76.) VAS ARTI LAVI,
Dum fideliter doces vitare vitiorum ſordes, & ſectari munditiem virtutum;
Dum formas animos ad artes, ut deſinant eſſe feri.

Inculcas Pietatem, & Sapientiam,
Ut prius incipiat juventus pia esse, quam sapere:
Continuas cum Sapientia Pietatem,
Ut non discat in pejorem partem sapere.
Proponis & alias scientias olim Prudentiæ serviendas:
Non omittis artes, quæ & privatos illustrant.
Hæc inprimis auditori svades: ut sit

(77.) AVARUS LATII.

Nec id sine successu, tot progressus testantur,
Ubi tot confluunt exteri, & plures exeunt docti:
Idq; ideo, quia & tuos efficis doctos.
Ut peregrini essent tuis similes, fiunt tui cives:
& ut tui cives æmularentur cum exteris, facis hos incolas.
Colis illos, qui sunt Scientiis exculti,
Colunt Te rursus illi, qui artibus excellere volunt.
Neq; Tu carere vis doctis, nec Te docti,
Quasi mutuus vobis esset inditus amor, ex quo resultat reciprocus honor.
Es enim

(78.) VIA, LAUS ARTI.

Regia via es Doctis, quâ ad laudem pervenerunt,
Non datur alibi ad Musas latâ viâ currere, datur in Te regiâ,
Et tui Docti laudantur Regibus, ac Cæsaribus.
Fateri necesse habet Hispania inventionem suæ similem dari in Germaniâ;
Stupet Gallia se non posse vinci à Germaniâ, & parem sibi esse Silesiam;
Miratur Germania in Te excellere Germaniam,
Tuosq; Poëtas omnes vincere Germanos;
Concedit Britannia & Batavia, ingeniosam esse & Silesiam;
Indignatur Italia migrasse artes cis Alpes,
Et se non posse superare in Poësi Silesios, ad quam invitavit Germanos.
Græcia si posset esse rediviva,
Diceret, vivere in Silesiâ Poëtas, qui in Græciâ mortui sunt.
Existis rursus

(79.) ITA VAS LAURI,

Ex quâ tot coronæ Poëtis sunt compositæ,
De quibus & cæteri Docti certant.
Ex magistratu & Justitiâ, de Juris Consultis judicium facito.
Medicos non sola Silesia, sed & confinia Regna celebrant.

Cùm

Cùm conflictantes cum morbis de ope aliorum desperant,
in Vratislaviâ spem ponunt;
Hâc si hic decidunt, frustrà amplius homines implorant;
Ultimum hæc refugium, quô vix aliud in Patria datur,
Non solum propter Medicos, sed & propter Medicamenta.
Frustrà Doctores alibi quæruntur, si hic non inveniuntur;
Alia frustra medicamina applicantur, si tua nihil operantur;
Haut aliquid curiositatis invenit Europa,
Quam Tibi experientia non reddidit probatam;
Haut ferè aliquod in America invenitur pharmacum,
Quod non esset tuis officinis cognitum:
Aliquot numeras pharmacopolia, plura chymicorum laboratoria.
Si Te deficerent pharmaca præstantia,
Sudetes suppeditare possent necessaria.
Sic autem adhibes:

(80.) SALUTI VARIA.

Nec tantum saluti, sed & utilitati:
Habes pro ægris scientiæ famâ florentes Medicos,
Et pro sanis opibus affluentes Mercatores.
Quicquid mercium fovet Germania, id per Te potest nanciſci Silesia,
Hâc viâ merces exoticæ, fiunt Tibi domesticæ,
Et tuæ domesticæ, fiunt aliis exoticæ.
Suscipis peregrinationes ob has ad alias gentes,
Accurrunt peregrini, ut acquirant tuas;
Deponunt in Te suas, ut eas faciant tuas.
Et Tu, emis, ut vendas; deponis, ut extrudas.
Facis ex privatis publicas, sed ut fierent cuilibet privatæ:
Quæris lucrum, & ostendis; negotiaris, & quiescis;
Quiescis, & omnia suppeditas; porrigis, & accipis;
Hinc Tibi crevit

(81.) LATA VIS AURI.

Re ipsâ vim in Te aurum obtinet.
Nihil necessitas excogitare potest, quod nummis permutari non posset:
Cuncti, qui cum mercimoniis appellunt, nummos expetunt, plerique
paucos asportant:
Tu enim das, ut Tibi reddant; & illi reddunt, ut à Te accipiant;
Utrique ditiores evadentes, utrique mutuâ operâ gaudentes.

Maxi-

Maximum autem refugium es pecuniæ permutandæ, vel in alias terras ablegandæ:
Non desunt Tibi collybi in totam Europam, & extra Europam;
Cuncta hæc recipis, & expedis;
Pluraq; expedire posses, si plura haberes:
Sed plura habere non potes, cum plurima habes:
Omnia absorbes, & nihil apparet,
Et majora negotia tractas extra Teipsam, quam in Te ipsâ,
Ita, ut dubium sit: ditior sis in Te ipsâ, an extra Te ipsam?
Sed non es ambitiosa, cum dicis:

(82.) SILUI AURATA.

Sileas, ipsis rebus loquentibus.
Grata es Germaniæ, & accepta Poloniæ;
Approperat ad Te Moscovia, carere Te non potest Ungavia;
Mittit Tibi è longinquo petitas merces Batavia, penetrat ad Te & Anglia.
Tanta Regna pendent à tali Provincia,
Tantæ Provinciæ poscunt operam talis Urbis!
Suppeditas Germanis merces Polonicas, & Polonis Germanicas;
Recipis ab aliis Russicas, & reddis Hispanicas;
Solvis argento Ungaricas, & vendis Britannicas,
Vel vendis Silesiacas, ut efficias exoticas,
Sed præterea vendit &

(83.) ITALUS VARIA.

Non respuis Italicas delicias, deliciis plena,
Rejicis tuas, quibus abundas, & recipis illas, quibus Italus abundat:
Remittit Italus suas, & recipit tuas, quibus caret.
Certatis regionum abundantiâ,
Ille miratur extra Italiam reperiri suam patriam.
Non respuit fieri Germanus, dum & Vratislaviæ invenit Italiam,
Et eodem tempore celebrat meridiem Vratislaviæ, quoque Salerni.
Nec mirum, si certares ingeniis cum Italis,
Dum in uno climate latitudinis habetis:
Sed ideò amas eruditionem Italicam, & virtutes Germanicas;
Magnifacis lingvam Italicam, sed plus Latinam;
Admiraris scientias Italicas, sed pro fundamento sumis Latinas!
Laudas novas inventiones Italicas, sed delectaris & antiquis;
Neq; etiam mirum esset, si assequi ingenia Italica non posses,

Dum

Dum & aëre, & regione Italiæ non in omnibus reſpondes,
Cum aliis lautitiis tamen eſt

(84.) SITA LARI UVA.

In domibus tuis conceditur vinum Italicum,
Ut Sileſii habeant, quô excitent Spiritus Italicos,
Majoremq; habet effectum Italicô, cum hauritur Germanicè.
Nec ſolùm hujus abundantia datur, ſed etiam quô abundat Europa:
Nullum penè nominat, Germania, quod non miniſtret tua cella,
Et quod partim deficit in Germaniâ, illius Tu copiam poſſides,
Videlicet Ungaria Te in ſe ipſam convertit,
Meliùs vix datur in Ungariâ eô, quod Tu hoſpitibus propinas:
Defraudat Genium Ungarus, ut Tu indulgere poſſis tuo.
Fatetur quisq; tale libari in Ungariâ, quale depromitur in Sileſiâ.
Certat id cum cœteris: utrum ſit præſtantius, vel plus ſanitati ſerviens?
Æmulatur & tuus Zythus cum ipſo vino:
Dubitant incolæ, an præferant vinum cereviſiæ.
Ars non vult cedere naturæ,
Et tot ſuppeditat ſpecies Zythi, quot numerantur vini,
Ab animalibus nomen impoſuiſti tuo potui,
Dum eô madidus & pauper cornua ſumit.
Licet tuo uſui ſufficeret Sileſia,
Tamen Sileſiam adjuvant finitima regna.
Advehunt Tibi ex unâ parte potum, ex altera cibum,
Sed ut & ipſa ſaturentur;
Voluptati tuæ videntur ſervire, ſed ut voluptatem ex Te capiant.
Hinc es,

(85.) SAL, VIA TAURI.

Opus interdum ſale habent boves vivi, ſed plus mactati,
Tu propterea etiam emis vivos, ut poſſideas mactatos.
Ex compacto Tibi videtur Polonia alere boves, & Tu illi ſervare pretium:
Tot millia ad Te quotannis tendunt, & nulli revertuntur;
Exhauris Regnum jumentis, nec dum Tibi ſufficis:
Vix prata poſſunt capere numerum, qui in Te diſparet:
Regno ſufficere deberent, quos regnum ſuppeditat:
Sed Te ſolam explere multa Regna non poſſunt,

Cum & Tu in multa Regna tuas opes derivas.
Quid, esses
(86.) SI AULA TAURI?
Imò tale diversorium es, ex quò Germania carnes petit,
Quas Polonia jejuniis conservavit, ut Germania fami mederetur:
Abstinere hæc Regio bonis cibis videtur, ne iis aliæ careant;
Abundat his lautitiis, ut alias ditet;
Tibi eas offert, ut Tu aliis suppedites.
Satiant Te Sarmatæ carnibus, Tu illos piscibus;
Ut illi Tibi advehunt ferinam pro diebus festis:
Sic Tu illis proponis necessaria pro jejuniis.
Vix maritimæ civitates tantâ supellectile piscium gaudent,
Quam Tu totô annô servas, & venum exponis,
Tu lenire potes fastidium maritimis, cum aliæ vix habere possunt tuos.
Quantum mare largitur suis accolis, tantum tua terra Tibi.
Caret Silesia stagnis, sed non caret piscinis stagnorum similibus,
Quas Tu omnes exhauris, nec tamen impleris.
Et hôc es:
(87.) AVARA UTILIS.
Omnia enim poscis, ut omnia reddas;
Omnia vendis, ut omnia emas;
Strobilos sylvestres vulgus vendi confidit,
Si quos truncus homo afferret.
Nec licet cuiquam quicquam exportare, quod venum exposuit;
Quisq; metuit majus damnum, qui parvum non vult capere lucrum.
Quatuor quot annis celebres habes nundinas,
Quos quotidiè celebrare videris:
Et quod illô es exteris: hoc istô es popularibus.
Hôc tantum differre videris, & tamen eadem esse;
Petunt exteri sibi lucrum, & simul tuum faciunt;
Cum & populares id quærunt, Tibi afferunt.
Bis de anno lana venditur, tempore æstivo, & autumnali:
Illô, ut hyemis damna resarcias; hôc, ut futuris provideas,
Imitantur Silesios Sarmatæ, & non credunt Tibi sufficere Silesiam:
Vendunt lanam Silesiis, ut augeant quantitatem,

Vel

Vel ipſi advehunt, ut augeant numerum vendentium.
Tum temporis reſonat

(88.) A LITUIS AURA.

Acutum balant alibi oves viventes, & hic à viventibus ſegregatæ.
Nec abs re: ubi tot ovilia in unum locum congregantur.
Tota Sileſia has opes hîc exponit, quam & extra illam degentes ſequuntur:
Idcircò & ipſi Sileſii pro Sileſiâ easdem hîc ſibi comparant.
Quilibet hîc ſententiam trutinæ exſpectat, ut in juſtâ lance acquieſcat,
Et ex ipſò pondere futurum emolumentum ponderet.
Non una bilanx tot pondera examinare poteſt,
Sed una pars majorem eligit, altera ad minorem tendit,
Eò citiùs idem examen expertura:
Negz unius diei labor eſt, qui ex tot locis congregatur.
Eodem tempore Paganalia videntur in urbe celebrari,
Dum Coridon Damætam hortatur:

(89.) VI SALTA ARVI.

Paſcua repræſentant in aridis locis,
Ac oves tibiis mulcent, ubi velleribus valedicunt.
Pro tot tantisqz incommodis cum gaudio præmia exſpectant;
Choreas ducunt, in quietem compoſitis gregum curis;
Sedant ſitim, quam ſæpiùs in arvis patiebantur;
Dies, noctesqz lætitiâ ſaturantur,
Qui triſtes vigilias pro gregibus agebant.
Donec merce eorum ablatâ, quietè mercedem auferunt.
Tu verò in conſvetudinem antiquitùs receptam conſentis,
Quamvis cum tuis moribus diſſentientem:
Concedis de tuo jure, ut illi ſuô utantur;
Taces, cùm clamant; arrides, cum rident;
Rides, cùm gaudia exercent; urbanè excipis ruſticos;
Quieſcis, cum quietem turbant.
Cæterùm

(90.) ALIA TUA URIS.

Alio enim tempore plus quieti tribuis, quam hilaritati.
Sonitus nocturnæ campanæ, omnem alium interdicit ſonum:

In plateis ſola inſtrumenta vigilum ſonant,
Qui, ſonum cujuslibet horæ quadrantis, fiſtulâ minori;
Ipſius verò horæ, majori repetunt:
His etiam ſe ad mutua auxilia provocant,
Cum quis alium ſtrepitum vult excitare.
Horum ſubſidium ſunt tui præſidii cohortes,
Quæ armatæ per urbem diſcurrunt, ne quis armis vim tentet:
Aliæ in vallo excubias agunt, ut & extra mœnia tuta eſſes.
Non contenta es vigiliis in terrâ, ſed eos collocas & in turribus,
Ne pariter ipſa tecta, Tibi eſſent tecta.
Hâc commoditate tuus civis non æſtimat pluris commoda,
Hortatur hoſpites, ut præponant requiem voluptati,
Diſponit enim ſuo, ut

(91.) ALIA SUA, RITU.

Et quidem non vulgari, etiamſi inter vulgum degit:
Princeps hæc civitas, non vulgarem ritum vulgo inculcat,
Supra alium vulgum, vivere conſvetudo vulgum docet:
Locus hîc immutat mores, non fortuna,
Quæ fermè ſuum imperium ſubmittit culturæ.
Quodqz olim in Latio fuit civis Romanus, id jam in Sileſiâ civis Vratislavienſis;
Vel ipſo aſpectu noſcitur, vel ipsâ converſatione probatur:
Municipio gaudet, in ſuâ Rep. ſub Imperatore vivit:
Duplex jus municipale ſervat, ut bis præſtans eſſet:
Primario, qui gaudet, aditus ad Magiſtratum, id eſt Nobilitatem ei patet,
Secundarium, qui obtinet, civis bonus audit.
Quæ ſors non cuilibet obtingit, ſed tantùm præſtantiores eligit:
Reſpectu enim tui,

(92.) RUS ALIA VITA.

Aliter neceſſe eſt vivere diſcat, qui in Te vivere cupit;
Aliter rem familiarem adminiſtret, qui damnum ſentire non vult;
Tuos mores eligat, qui tuus eſſe deſiderat.
Dominatur in Te ſvavis urbanitas, ſed non Gallica;
Miſcentur civiles ſermones, ſed plerumqz non doloſi;

Nolis

Non vis aberrare à Sileſiorum Genio, & copulas civilitatem
cum ſinceritate,
Mercrisq; laudem in Germaniâ quod hactenus foviſti Germanum
Candorem.
Mittunt ideò aliæ civitates ad Te ſuos liberos,
Ut eos recipiant ſimiles tuis:
Mittunt & exteri, ut habeant humaniores.
Ipſa plebs libera tuam ſervitutem eligit, ut evadat ſerviendo politior.
Nec deſunt & nobilioribus digna exercitia,
Dum ſis

(93.) SALTUI VARIA.

Inveniet hic quisq; citra levitatem Gallicam, leves motus Gallicos,
Inter Germanos choragos Gallicos,
In Sileſiâ choragia exotica, & Vratislaviæ Lutetias:
Acquiri poſſunt geſtus Gallici, absq; fraude Gallicâ,
Imò & ipſa lingva poteſt addiſci Gallica, absq; faſtu & ſumtu Gallico.
Te florente carere poteſt Sileſia Pariſiis.
Habes athlethas præſtantiores Gallicis,
Et in aliis habilitatem corporibus induis,
Si non Gallicam, tamen Germano idoneam.
Penes talia exercitia corporis; ipſa es locus ſanitati corporum favens,
Et viget in Te

(94.) AURA VITALIS.

Non ſolùm Te dividunt Sudetes à Bohemiâ, cum quâ conjuncta es,
Sed pariter obſtant nocentibus Auſtri flabris,
Et indicant ſufficere Tibi faventem Auſtriam auram,
Cui reſpondet ab Occidente Germaniæ Favonius:
Hunc excipit à Septentrione Boreas adjacentibus aquis temperatus.
Pari modo ſine impedimento ſanos ab Aurora ſuſurros
Boreas afflat Eteſiis comitatus:
Ipſa planities hilaritatem ſanitatis nutricem excitat.
Habet, quô delectantur ſenſus intra urbem, & extra mœnia;
Ne autem offenderentur, vel aura inficeretur,
Continuò in Te eſt

(95.) RASA LUTI VIA.

Munditiem amas non tantum in ædibus, ſed & in publicâ viâ,
Quotidiè purgas viam, ut ædes mundæ maneant:
Publicô factô privatos ad imitationem concitas,
Ut ſciant, quam diligentiam debeant ædibus, cum via ſit ſimilis pavimento,
Quantumq; ſit munditia ornamentum urbis, & urbanitatis.
Quam facile munda fiunt inquinata.
Sponte affluunt immunda, difficile munda acquiruntur, difficiliùs ſervantur.
Tollit cura hanc difficultatem; tuâ imitatione probatur:
Mundus tuarum fœminarum eſt tegumentum mundum, tuus verò mundities,
Verum pulchra, &

(96.) LATA VIA URIS.

Carum advenis tum pavimentum videtur, & illi rurſus Tibi,
Carere verò Te non poſſunt, cum mercem volunt extrudere carè:
Idcircò amaris, & culparis; taxaris & deſideraris:
Cara es, & grata; vilis eſſes, ſi vili viveres,
Datur in Te etiam vivere pretio vili, non datur, ut nullibi, nullo:
Quisq; hîc ſuæ fortunæ modulum invenire poteſt,
Sed non omnis ſuam confitetur.
Diſcitur mercari Græcâ fide, ubi fides ſæpiùs non ſervatur:
Fallit ſeipſum, qui non perpendit ſe eſſe hoſpitem tuum:
Serò rationes colligit, qui eas ad domeſtica expenſa confert:
Serô cupiditatem increpat, cui in lautitias excurrere conceſſit.
Nam Tu es

(97.) LAUTIS VARIA.

Famen cum alibi ſedat panis, hîc ſolo aſpectu excitat,
Magis ſapidus, & pulchrior, in totâ regione vix datur:
Primarius æquat ſimilagineum, ſimilagineus nivem:
Gaudia advenientium, & redeuntes exſpectantium.
Quis recenſebit ſpecies placentarum, quæ plurimis placent?
Quis noverit omnes cupedinarios, qui cupiditatem alliciunt?
Quis perluſtrabit cupedias, vel in ſolo foro cupedinario?
Ibi florent flores; virent olera; matureſcunt fructus terræ, & arborum,

Quos

Quos modo tellus producere, & cura augere poteſt,
Præcedit ferè cura naturam, dum facit fructus præcedere juſtum tempus.
Qui enim aliis in locis creſcere incipiunt, Tibi jam venduntur.
Sed hæc faſtidienti palato: alia ſervas jejuno ſtomacho:
Paratam habes annonam, ut medearis illius caritati,
Potes dicere: Semper

(98.) VALUI ARISTA.

Vilitas annonæ Te duritatis admonet,
Et abundans præſentia, futuræ abſentiæ:
Uteris præſentibus, & proſpicis de futuris:
Tantum curas futura, quantum ſperas fore præſentia,
Et quantum ſubjecta ſunt Prudentiæ, non incognita ſcientiæ.
Tot penè numeras granaria, quot civium tribus;
Plus in eis contines frumenti, quam requirunt cives,
Cùm ea aperis, ſufficiunt toti multitudini, & civibus.
Ægypti diſciplina transmigravit in Sileſiam,
Floret Vratislaviæ regimen Joſephi,
Habitatores modò hîc ſunt diſſimiles Ægyptiis:
Illi tantum fruebantur præſentibus; hi etiam proſpiciunt de futuris,
Et temperant mala præſentia, bonis temporis præteriti.
Ipſæ matresfamilias ſportulis provident domibus,
Dum conſpicitur in Te

(99.) VARIA SITULA.

Serviunt illis ſportellæ & utilitati, & honeſtati,
Ita ſunt confectæ, ut ornent, & rebus ſerviant.
Morem Reginæ imitantur filiæ moratiores:
Comparant ſibi aliarum civitatum fœminæ hunc ornatum;
Ut tuis ſimiles, vel pari ſorte prædita appareant:
Geſtant ſitulas Vratislavienſes, ut quæratur Sors Vratislavienſis.
Ex his opera mechanica apparet, cui par alibi vix datur.
Quod in his Imperio Noriberga, id Sileſiæ Vratislavia.
Qui res venuſtas & pretioſas quærit, is eas hîc invenit;
Qui eas hîc non invenit, fruſtrà eas in Sileſiâ quærit.
Omnia pulchra & præſtantia, dicuntur Vratislavienſia:
Sibi ipſi diſplicet, cui Tu non places.
Tali acclamatur:

(100.) I, LUSTRA AVIA.

Eremum meruit, qui tuam Societatem ſpernit;
Corruptus eſt ſenſu interno, qui tua fundamina non miratur;
Caret ſenſibus externis, quam tuus ſplendor non capit;
Nihil planè cogitat, qui tuum ordinem non obſervat;
Privatus corde oportet ſit, cui, Cor Sileſiæ, non eſſes cordi;
Captus mente eſt, quem Tu tuâ pulchritudine non capias.
Digna es Encomiis privatorum, quibus à Cæſaribus dignata es.
Cumulata es præteritis Seculis plurimis,
Adjice, benignè & hoc currentis, eorum cumulo.
Tuum eſt, quia à Tuo Nomine deſumtum:
Tuum ſi quid non agnoſcis, meum dicito,
Vel ſi tua omnia agnoſcis, & hoc facito tuum.
Plura forſan Lectori dixi, ſed nondum de Te plurima,
Et, ſi plurima dixiſſem, tamen non omnia dixi.

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS ATHENARUM

it;
e miratur;
capit;
vat;
ſes cordi;
capias.
dignata es.

ulo.
:

um.
lurima,
ixi.